



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber dissencionum archiepiscopi Coloniensis et Capituli Paderbornensis

Dietrich <von Engelsheim>

Münster, [1893-1897]

82. Epistola missa per Imperatorem Remeorum principibus electoribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54427](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54427)

creatus. Sic, cum per imperatorem erat nobilitatus, plebei ipsum a se refutarunt sic, quod taliter ab omni consorcio Basiliencium penitus erat exclusus. Confusus tamen de habundantia bonorum castrum quoddam ibidem sub certa pecuniarum summa recepit, filiam suam magna pecuniarum summa nobili cuidam desponsando, ut per talem tueretur ex adversis. Quod demum acciderit et accidere possit, cognitor noscit universi. Tunc temporis Greci ibidem supervenerunt, ut ad conformem fidei unitatem ratione processus Spiritus sancti et alias reducerentur. Qui tunc ibidem in propriis hospiciis officium divinum celebrarunt, ubi sacerdos rotunda casula sive amictu sine stolis altare bipartitum accessit et tres panes azimos quantatis pugilli, unum benedictum, alium sanctificatum et tertium sacramentandum apposuit; quorum primum dividebat inter astantes, secundum diacono tribuit et tertium sacramentaliter sumpsit, ubi pro tunc tribus [vicibus]¹⁾ ebraica voce, sono et tono, ut placuit, cantavit.

82. Johannes in Christo Deo fidelis imperator et moderator Remeorum, paleologus et semper augustus reverendissimis in Christo patribus, illustribus principibus Romani imperii electoribus salutem. Ob sinceram karitatem et amicitiam et propter bonum commune ac universalem christianorum usum est nobis, nostris hiis literis vestras amicitias de adventu nostro ad partes Italie reddere certiores. Quapropter vobis notificamus, quod Deo omnipotente favente feliciter et prospere Venetias applicuimus die octava presentis Februarii mense una cum sanctissimo domino patriarcha Constantinopolitano ceterisque reverendissimis archiepiscopis, episcopis et aliis patribus orien-

¹⁾ ergänzt.

talibus. Die vero vicesima septima huius mensis intendimus hinc recedere Ferrariam, ubi sanctissimus reperitur papa Eugenius, ut cum omni diligentia et sollicitudine instemus, sacri icumenici concilii interesse celebrationi, quam cito fieri possit. Pro cuius quidem rei expeditione, cum bonum commune sit omnibus christianis, nos omnibus aliis neglectis tot adivimus pericula tantosque¹⁾ suscepimus labores extra et in longinquis partibus, in medio remis²⁾ ac tam onerosam difficilem ac formidosam incepimus navigacionem, quod immensum est referre. Qua propter vos vehementer hortamur, quatenus tamquam christianissimi viri bonum christianorum ac unionis ecclesie affectionem sollicitetis, instetis et pro viribus diligentiam adhibeatis, ut tanta et talia per vos incepta felicem et celerem expedicionem in fidei unitate consequantur. In Christo valete. Scriptum ex Veneciis XXV mensis Februarii anno Dominice incarnationis quadringentesimo tricesimo quarto.

Cum autem predictus illustris dominus imperator Grecorum Ferrariam applicuit, tunc papa Eugenius maximis expensis ipsum ibidem obtinuit, nec eum ad concilium ire permisit. Unde diversa scripta hinc inde emanarunt a domino nostro papa ad concilium et viceversa a concilio ad papam, sic quod bona intencio dicti domini imperatoris et totius venerabilis orientalis ecclesie reductionis ad conformitatem Romane ecclesie, ad quam aspirabant plus quam umquam ante, licet sepius ymmo sepiissime erat attemptatum, totaliter fuerat frustrata; et in ritu suo satis diverso a ritu ecclesie Romane, prout beatus Paulus, Spiritu sancto plenus et edoctus eos reliquerat, recipiendo, quod voluerunt, et non, quod

¹⁾ Im Text steht tantaque. ²⁾ unverständlich, vielleicht in mediis remis.

voluit, perstiterant et remanserunt. O superba et maledicta¹⁾ et libido dominandi! Tale infinitum utile bonum impediens, quo non homines, ymmo celum, terra cherubim et seraphim commoventur, cum maximus Christi Jhesu honor et decus totius Trinitatis ipsorum displicencia subtrahuntur et procul omni dubio divina ultio culpabili in premissis superveniet! Existimo fere, tam cum papa, quam cum concilio provenisse,²⁾ cum ambobus obediencia consueta est subtracta et eorum honor et reverentia diminuta, ut ex factis adapparet luculenter.

83. Concilio pro tunc in vigore existente emanarunt quinque decreta bene ecclesie Paderbornensi pre aliis intuenda, quorum primum de electionibus in prelati eligendis, alterum de pacificis possessoribus, tertium de interdicti observancia et quartum de divino officio celebrando, quintum de excommunicatis non vitandis.

Der Auctor bringt diese Dekrete nur im Auszuge; von ihrer Wiedergabe ist hier Abstand genommen. Das 1. Dekret ist in der XII, das 2. in der XXI, das 3. in der XX, das 4. in der XXI, das 5. in der XX Sitzung erlassen worden.³⁾

Cum autem non solum in una ecclesia, sed fere in omnibus perit obediencia, sic quod canonici non episcopo nec decanis, beneficiati non archidiaconis et suis superioribus subesse volunt et propria temeritate abusum trahunt ad usum, iniquum ad equum et consuetudinem, sic quod divinus cultus diminuitur, disciplina perit et correctio subditorum refutatur taliter, quod bonorum exteriorum preterea ecclesiarum secularium et regularium

¹⁾ unleserlich. ²⁾ nämlich das göttliche Strafgericht. ³⁾ Sie sind ausführlich wiedergegeben bei Binius, Concilia generalia, tom. IV. pag. 36, 51 und 52, Coloniae 1606.